

JOANNIS SEBVSIIENSIS SECVNDI

contra Maximilianum Imperatorem arma
moventis: Cusus Anno Chri-
sti 1565.



N pacta foederis, quæ Ferdinandus Imp. cum Sulta-
no Solymanno inerat Anno Christi 1560. consen-
serat quoq; Joannes Vaivoda Transylvania: quem
jam pridem Solymannus Regno Ungariæ, jure hæ-
reditario possidendo, donârat. Mortuo itaque Fer-
dinando Cæsare solutas inducias ratus, miro silentio
ad occupandum Zatmar contendit, oppidum in fi-
nibus Pannoniæ inferioris situm, quod Cæsar Mel-
chiori Balasso propter res præclare gestas dono con-

cesserat. Illud oppidum cum paulò negligentius custodiretur, paucaque
haberet præsidia, sine pulvere & sanguine repentino Vaivodæ copiarum
adventu occupatur. Factum excusavit Joannes, quod Balassum perfugam,
& arcanorum suorum conscium, à Ferdinando, contra decorum & pacis le-
ges, receptum diceret. Astu in eo capiendo hoc utitur: magnum armento-
rum numerum præmittit, cum pastoribus ac bubulcis, qui ingenti pulvere
cum oppidum præterveherentur, excitato, conspectum præsidariis adime-
rent; ponè sequebantur undecim delectorum militum signa. Ad repenti-
nam illam nubem Balassus continuò mittit, qui quid esset viderent, cum il-
li armenta se tantum vidisse renūciarent, habitâ fide præsidarij securi quie-
verunt, donec præter vectis armentis, cum aer adhuc obscurus esset, delecti
antequam videri ac præveniri possent, impetum ab omni parte faciunt, &
ita inopinato casu territis præsidariis locum exiguo negotio, & in eo ipsum
Balassum cum uxore, liberis, ac thesauris capiunt. Quam injuriam sub regni
initium Maximilianus minimè sibi ferendam ratus, ultra modum contra
Joannem excanduit, coactasq; statim copias Cassoviam præmittit, ut eius
impetum, ne ulterius progrediretur, retardarent, donec totis viribus,
& cum justo exercitu ipse in Pannoniam descen-

deret. *Com. Natal. Thuanus.*